



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Junius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

J U N I U S.

S. SIMEON CONF. 1. Junii.

SIMEON Siculus adoratis, quas Dei Filius sacrauit, regionibus, ad amorem paupertatis, quam omnia ejus vestigia spirant, exarsit. Jura sanctitatis cum Anachoretis docuit, vel semel exerantem in feminas oculum gravi oratione ad officium revocaturus. Ab eo denique manumissus loca plura magnis virtutibus nobilitavit. Subinde in piratas incidit, nihilo mitiora comitibus occisis passurus, nisi salientem de puppe petitemque tellis diviniore vis texisset. Tandem delatus Treveros, speculam sibi in turris fastigio elegit, quam expugnare orcus aggressus, suas in Christianum Herculem hydras, & omne monstrorum genus nequidquam armavit. Stultius strategema fuit, cum perditis tenebriones, nescio quos, fatuos ignes radiosque tugurio ejus infunderent; sed ille fanaticam lucem oculis non admisit, solem suum mortuo sibi oriturum dictitans: dæmones elusis artibus suis, auxilium ab hominum malevolentia perit, qui noxiam aquarum inundationem sceleribus ejus imputare ausi, convitiis saxisque in caput innocentis sunt grassati. Stationem tamen non ante deseruit, quam illum cæli Imperator evocaret an. M. XXXV. Corpus ejus exanime prodigioso sudore immaduit. Quis arduam neget ad cælum viam, in qua etiam hi cursores, & quidem post mortem, sudant? *Ex Surio.*

Beatus, qui omni spe rerum hujus mundi seipsum orbavit, ac in solo Deo omnem spem fixit atque locavit

vit suam: sicut enim execrandus est ille homo, qui spem suam positam habet in homine, ita omni laude dignus, qui ex Deo totus pendet. S. Bas. Orat. 7.

SS. MARCELLINUS & PETRUS
M. M. 2. Iunii.

Nihil agis impietas; Christi servus etiam inter vincula liber est; insultabat Arthemius PETRO compedibus onerato, experiretur Dei sui vires, & rumperet catenarum nexum, si tantum in JESU nomine confideret. PETRVS non id modo præstitit, sed Paulinam insuper ejus filiam diaboli mancipium, expulso improbissimo tyranno, in libertatem asseruit, unaque Arthemio persuasit, Deo antea subsannato, cum omnibus carceris incolis, sacramentum dicere. MARCELLINVS, qui eos Christiano ritu abluerat, nudus vitri fragmentis impositus, non antè quàm ab Angelo jussus, ex illo se lecto proripuit, & cælesti veste excultus cum PETRO, quem idem Angelus cippo exemerat, Christianorum se cœtui reddidit; quibus animandis cum septem ipsos dies impendisset, pleno tandem agmine Arthemium cum uxore & filia ad supplicium euntes comitatus est. Ipsi denique in silvâ, cui Nigræ cognomentum fuit, inter senticeta, capite plexi sunt. Nihilominus vel invito tyranno, abscondi inter spinas lilia nō potuerunt, & sanctitatis odor rubentes suo sanguine rosas prodidit. Lucilla & Firmina castis illas manibus legerunt, & in communi SS. Martyrū viridario collocarūt. Silve quoque nomen immutatum est; pro Nigrâ, Candida posthac audit. Esto & tu lilium inter orbis spinas, & cæli candidatum te appellabo. Ex Suario.

Parati simus semper irruentes vitiorum curres

2. Iunii. VITÆ SANCTORVM. 277
ac frementes bestias de agro cordis nostri ejicere, nul-
lumq; eis in ea, quæ juris nostri sunt, permittamus lo-
cum perverse dominationis habere: non videant nos
inimici nostri cedere, ne de nostris valeant recessibus
exultare. S. Pet. Damian. serm. 75.

S. NICOLAUS STAUROPHORUS.

2. Iunii.

Altius in animum NICOLAUS verba CHRISTI
demisit, quàm nos passim solemus. Vix enim
illa audierat, quibus ad fortiter ferendam Crucem
mortales extimulat, cum illico melioris fortunæ,
si quisquam alius, sibi ipse faber crucem ingentem
paravit, & cum hac in annum CHRISTI M.
LXXXVIII. in Italiam venit. Ibi excalceatus, &
pannis obsitus pueros cogere; dux his ad tem-
plum esse; solemnia, quibus misericordiam Nu-
minis provocamus, verba præire; ante solis occa-
sum nihil in victum admittere; sed & tunc non
nisi pane cibario famem, & undâ sitim domare;
à precibus intereà nunquam desistere; Crucem,
quam nos ultro abjicimus, nunquam deponere.
Visum est hoc genus vitæ loci Antistiti primò in-
solens: sed re melius inspectâ, laudavit viri stu-
dium, & ad mensam insuper suam perquam libe-
raliter invitavit. At NICOLAUS febrî correptus, ad
signa sua prætextatum agmen convocavit, mo-
riensq; inter faustas apprecationes, Crucem illi
suam testamento legavit, magnam tam parvulis,
& opulentam oppidò, si æstimare norunt, hære-
ditatem. Ex Pet. de Natalib.

Auctor pietatis in Cruce pendens testamentum con-
didit: Apostolis persecutionem, Iudæis corpus, Patrî
Spiritum, Virgini Paranympum, Latroni Paradisum.

M 7.

peccatoris

peccatori infernum, Christianis Crucem commendavit.
S. Ambros. serm. de Pass.

SS. PERGENTINUS ET LAURENTINUS
MM. 3. Iunii.

NON minùs sanctum quàm nobile par fratrum
PERGENTINVM & LAURENTINVM aspicias,
quorum nomen Aretini cives ad Tiburtium pie-
tatis hostem delaturi hæc accusationis capita ha-
buere; ludum literarium eos quotidie frequenta-
re: rimari arcana Philosophiæ Christianæ; & jam
privatim exercere magisterium ejusdem sectæ; id
si publicè audeant, neminem fore, quem non elo-
quentiâ sint corrupturi. Tiburtius propriâ con-
fessione convictos, inviolatos tamen abire passus
est, tantò nequior, quantò blandior. Nihil deinde
de more suo remittentes cædi fustibus jussit, pla-
gisque obfaturatos inediâ plecti. Tridui jejunio
maceratis Angelus mensam struxit de cælesti penu
cellaque; cujus delicias qui gustet, sentiat profe-
ctò, obsonare famem tanti fuisse. Allapsa simul
cælo lux, & sponte laxatis carceris foribus, Chri-
stianis cum Pergentinâ sorore ad captivos via pa-
ruit: sed ii cæli nectare ebriis fugam suadere ag-
gressi frustra fuerunt. Carnificum contra ad mor-
tem eos evocantium suavissimæ voces visæ, quam
priusquam oppeterent, saxeam Jovis statuam ar-
dore precum suarum in modum ceræ coëgerunt
liquefcere. Illustre miraculum inquires; imitabile
tamen: potes tu quoque Bacchum, Venerem,
aliaque improbæ mentis idola precibus extin-
guere. *Ex Surio.*

*Quacunque vitia habemus & quocunque peccata,
tot recentes habemus Deos. Iratus sum; ira mihi Deus*

4. Junii. VITÆ SANCTORVM. 279
est. Vidi mulierem & concupivi; libido mihi Deus est.
Vnusquisque enim quod cupit & veneratur, hoc illi
Deus est. S. Hieron. in pf. 180.

S. GUALTERIVS C. 4. Junii.

Dubitabit aliquis GVALTERIVM mundi sidus
dicere? cum humerum stellâ insignitus in
lucem prodierit, divino munere parentibus con-
cessus, Numini Basilicam invicem spondentibus.
Gratiarum domicilium diceres, tanta erat oris ve-
nustas, tanta morum elegantia. Magnis pro eo
studiis certatum est, cælo terraque tantum decus
ad se rapiantibus. Præfecti urbis filia oculos in
eum conjecerat, optabatque sponsum, spe tantò
certiore, quantò inter Romanas Nymphas emi-
nebat, & sanè, si quid mortale amandum fuerat,
tulisset primas. Jam parentum vota consenserant,
gratulabaturque pari, & pulcherrimo conjugio
Romæ cum GVALTERIVS generoso fastu condi-
tionem aspernatus, negavit feminam ullam toto
orbe dignam se marito: translatisque in cælum
desideriis, castarum mentium sponsum virginita-
ris sibi voto devinxit. Id tamen consilium paren-
tes insaniam vocarunt, & extorquere filio non
verbis tantum, sed verberibus etiam sunt conati:
ut neutris flecteretur; vox allapsa cælo fugam
adolescenti suasit, quam cum Armeno Sacerdote
in Picenum instituit; ubi deinceps eo virtutum
splendore vixit, ut palàm fecerit æquum fuisse
eum stellatum nasci. Parentes diu perquisitum
denique reperere, sed jam inediâ squalidum,
alioque, quam quem Roma suspexerat, vultu. Ille
tamen Deo plenus factum iis suum non approba-
vit tantum, sed ut imitarentur, induxit; quem
finem

finem utinam omnia parentum cum filiis certamina habeant; juvaret acies committere, & cantare classicum. *Ex Phil. Ferr.*

Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiamsi blandiretur, etiamsi rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tantâ adversitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quàm ne diligatur, clamat? S. Greg. 3. Dial. c. ult.

S. BONIFACIUS E. M. 5. Iunii.

BONIFACIO, & hoc, & Apostoli nomen Germania peperit, cum VVinfridus olim vocaretur. Monasticen puer amplexus est, multum adversante patre, donec, immisso divinitus morbo, pertinacia ejus est domita. Sacris initiatus Frisones Christianâ disciplinâ imbuendos, Pontificum deinde jussu, Germaniam universam excolendam suscepit; adolescentulis etiam in partem pii operis adscitis. In Boicâ S. Sturmionem, Treviris Gregorium sibi junxit XIV. annorum adolescentulum, cum Anagnosten in triclinio peritè agenti aures dedisset: capto enim egregiæ indolis experimento, unius congressûs suavitate ad sui eum imitationem attraxit, ut palàm dictitaret, suis se pedibus cum BONIFACIO orbem terrarum peragraturum, si equi copiam avari amici negassent. BONIFACII labores, & arduum LV. annorum à Sacerdotio ad martyrium usque actorum cursum quis explicet? in tantâ sæpe necessarij victûs inopiâ, ut cælo com meatum ei submitti avium ministerio fuerit necesse. Frisonibus Christo nuper additis diem dixerat, quâ sacro Chrismate frontes inungeret: ii ex discipulis latrones facti, optime de se meritum cum LI. sociis peremerunt. Irruenti

in se barbaro Evangelii codicem BONIFACIUS objecit, qui etsi discillius est, negant tamen ullam literulam eâ plagâ vitiatam. Omnia ipsius facta dictaque admiranda sunt; illud sæpe sæpius repetitum, nostra ætas multò verius quàm BONIFACIANA audiat: olim Sacerdotes aureos cum ligneis calicibus fuisse; nunc aureos esse calices, sed ligneos Sacerdotes. *Ex vitâ apud Nicol. Serrav.*

Nemo in Ecclesiâ amplius nocet, quàm qui perversè agens nomen vel ordinem sanctitatis vel Sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nemo presumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentiâ ordinis peccator honoratur. S. Greg. in Pastoral.

S. NORBERTUS EP. 6. Iunii.

NORBERTVS Dux ejus familiæ, quam Præmonstratensem indigitant, summis aulæ Imperatoriæ honoribus perfunctus, cùm mundo se abdicasset, suorum progressus atque incrementa ab ipsomet CHRISTO in cruce pendente est edoctus. Nocentissimam Tanchelini hæresin Antverpiæ tum grassantem, introductâ è suis coloniâ, jugulavit. Archiepiscopus post Parthenopoli, quia in corruptos civitatis mores liberè pro DEO, & dicebat, & agebat, multorum in se odia convertit, ut jam essent, qui necem ipsi, fociis verò exilium minitarentur: sed eorum insidias semper cælum elusit; tametsi NORBERTVS, Scrvatorem æmulatus, obvius nonnunquam hostibus ivcrit. MARIA cultui se suosque æternam devovit; unde è VIRGINIS manu vestem candidam (quâ mores suos tota hæc familia etiamnum monstrat) ab Augustino verò Leges aureis literis exaratas accepisse memora-

memora-

memoratur. Ita candidatus cū cælum diu ambivisset, anno demum C. XXXIV. supra M. obtinuit, & in victoriæ signum olivam manu præferre visus est. Non nemo eundem sub lilii imagine transportari in cælum conspexit. An non gratulari sibi terra tunc potuit, cū flores habuit, quos in sua rotaria transferre Superi amabant? Sed & nunc tales daret, si non ungue infesto invidus cælo heu! mundus præriperet. *Ex Surio.*

Bona mors justī propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra mors peccatorum pessima: mala in mundi amissione, peior in carnis separatione, pessima in vermis ignisque contritione. S. Bern. in Epist.

S. ROBERTUS ABB. 7. Junii.

ROBERTVM alterum D. Bernardi oculum imitandum proponimus, cā frugalitate virum, ut helluari sibi videretur, si ipsis Paschalibus avenaceum panem butyro adipatum gustasset. Genium ergo suum defraudans intactum pauperibus remisit. Sed debebatur cælo tam delicatum Apophoretum, tantaque virtute conditum. Angelus sub centonibus latitans eo donatus est, argumentis aliis pluribus, & illo maxime agnitus, quod discum invisus omnibus in mensam retulit, & paulò post, quasi vicem relaturus, læto ROBERTVM nuncio beavit, nomina discipulorum ejus albo cæli inserta esse, duos duntaxat eā felicitate excidisse: ex quibus alterum credibile est eum ipsum fuisse, quem è medio orantium cœtu demonis furcā abstractū, auferri ab eo sportā aspexit spoliū orco. Aliàs globo juvenum immixtum Cacodæmonē, & singulorum auribus sua venena
insufur-

insufurrantem à magni sceleris apparatu abduxit, fatentem postea certum sibi fuisse, nuptiales ludos jurgiis, & multâ cæde finire, nisi à ROBERTO esset interpellatus. Sub annum M. C. LIX. mortuum Godricus familiaris ejus ignei globi specie à tribus Angelis inferri cælo vidit, allatrantibus ponè stygiis larvis, plusquam caninâ impudentiâ, utique fatalis prædæ spem neque illo rerum articulo deposuerunt. Nobis quid fiet, qui nunc his belluis colludimus, & neque fuscinam satis neque sportam prædatoriam timemus? *Ex Surio.*

Cogitatio omnis secularis & carnalis tempore orationis abscedat, nec quidquam animus, quàm id solum cogitet, quod precatur. Claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo patens nec ad se hostem Dei tempore orationis patiatur accedere. S. Cyprian. de orat. Dom.

S. VICTORINUS CONF. 8. Iunii.

Rectè olim pronunciatum est, utcunque rara sit inter homines innocentia, plures esse, qui ab eâ nunquam diverterint, quàm qui seridò reverterint. His tamen tam paucis VICTORINVM accensas licet magnum pœnitentiæ miraculum. Romæ natus cum Severino fratre Camerinum discesserat, tutissimum vitæ genus, vitato omni humano consortio, aggressus: sed quod mihi asylum dabis, quod non dæmonis improbitas perrumpat? Is vultum habitumque feminæ meritis nocte intempestâ VICTORINI tugurium auresque lamentis opplevit, dignaretur tecto ultima pericula metuentem, neque prædam se feris objiceret. Peccaturus in humanitatem sibi VICTORINVS videbatur, si ad has preces obsurduisset. Recipit ergo dæmonem hospitio, sed sub larvâ tam bellâ latentem,

ut ille hominum osor hujus amore captus sit. Conflagrantem facibus fœdæ cupiditatis personata lena deseruit, intellexitque miserrimus amator, qualis illecebra Deum sibi mentemque eripuisset. Jus deinde sibimet dixit, immissaque intra diffissæ arboris rimas manu, revulsis cuneis, arctè iterum coëunte trunco, inusitato cippo miserabilis se captivus induit; stetitque sic affixus triennium integrum; Dominicis duntaxat diebus panem & aquam è Severini manibus libare solitus; cum demum jubente Camerinesi Episcopo, emortuam ab inaudito carcere manum, utique conciliato Numine, recepit. Audite peccatores. VICTORINVS momentum unum trienni supplicio vindicavit; nos ævo continuo peccamus, & vix momento resipiscimus. *Ex Phil. Ferrar.*

Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: nihil profunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet de malis veniam postulare, & mala de novo iterare.
S. August. in soliloq.

S. MEDARDUS EP. 8. Iunii.

Nolit fortasse à Gildardo gemello suo sejungi
MEDARDVS, cum quo ita communia habuit omnia, ut eodem die ambo nati, ambo denati, ambo sacris infulis induti sint: leges tamen hîc seorsim de MEDARDI pueritiâ paucula, de Gildardo paria cogitabis. In splendidas opes natus unicum earum usum noverat, liberalitatem. Prætextam suam cæco largitus, ad matrem propè nudus recurrit, gestiens quòd tantillâ veste Christum induisset. Equorum custodiam cum ultro sibi depoposcisset, unius abducendi copiam egeno viatori fecit; ejus jacturam cum pater acerbè ferret,
gregem

gregem recensentibus numerus nullo capite imminutus apparuit. Ipse nihilominus pietatis suæ fructum præsentem tulit, aquilæ alis à pluviarum injuriâ defensus. De agrorum limitibus exarserat inter vicinos certamen, spectabatque res ad arma, nî puer litem finisset. Saxum enim medio reperi- tum campo pede contigit, suumque velut in molli cerâ vestigium impressit, eoque prodigio limi- tem, vel ostendit, vel fecit. Eleutherio contuber- nali suo de mitrâ olim indipiscendâ oraculum de- dit, cui postea vates ipse successit. Defuncto cæ- lum faces funebres suppeditavit. Clotharius Rex Sandapilæ succollavit. Cum tumulo inferretur, cælum diduci pandique visum, nempe ut melior MEDARDI pars eò cum triumpho invehetur, ge- minæ columbæ itineris duces futuræ obviam pro- fectæ sunt: quibus tertiâ, quæ de Sancti ore egressa est, sese junxit. Has alas animæ simplicitas & mo- destia affixerunt: nos in Pavoninis superbimus.

Ex Surio.

Felix promissio, ut postmodum in divino liberetur exa- mine, qui nunc subvenit egentibus in mœrore: Gloriosè mercatur, qui pro misericordia, quam pro pauperibus ex- hibet, totius Christianitatis continuam orationem pre- meretur. S. Pet. Dam. Opusc. 9. de Eleem.

SS. PRIMUS & FELICIANUS MM.

9. Iunii.

PRIMVS & FELICIANVS cum Jove & Hercule falsis Diis, Diocletiano & Maximiano crude- lissimis Imperatoribus decertarunt, solâ adversus illos pietate, adversus hos patientiâ armati: cujus ut insignia documenta darent, Angelorum bene- ficio viam sibi ad fugam aperientiû noluerunt uti.

Bellaria

Bellaria tamen, quæ acerrimè verberatis allata cælo sunt, libarunt, ne viribus succumbentibus, levioribus, quam vellent, suppliciis defungerentur. FELICIANVS octogenario major cæstus, & suffixas unguibus subulas vultu immoto tulit: mentiente nihilominus, ut PRIMO fucus fieret, Preside, Felicianum tormentis cessisse, stultâ impudentiâ: cum Angeli nihil eorum, quæ acta fuerant, Primum ignorare paterentur. Ergo is quoque faces ardentes suo sanguine extinxit: liquatum plumbum (tanta erat patiendi sitis) velut fontanam bibit. Leones & ursi cum illis compositi nec animorum, nec corporum vim imminuerunt. Etiam securi cæsos muscæ canesque non ausi sunt contingere; tanta est virtutis etiam apud animantes estimatio. Utinam homines, qui soli tanti capaces boni sunt, & præmia noverunt, suis hæc animi decora momentis expenderent. Sed cheu, quam vili venditur innocentia! *Ex Surio.*

In hâc vitâ virtus non est, nisi diligere quod diligendum est: id eligere, prudentia est: nullis inde averni molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est, nullâ superbiâ, justitia est. S. Aug. Epist. ad Maced.

S. SYLVESTER CONF. 9. Iunii.

VEntura (namque hoc primum SYLVESTRO nomen erat) quo tempore Florentia a B. Jordanis ore tota pendebar, fulloniam illic exercuis, ipse etiam candidissimæ mentis. Quare faciliè locum in hoc Jordanis verba invenerunt. Sed rectius illi eodem tempore visus in cruce Christus concionatus est, plagis suis semper ad misericordiam concitandam facundis. Certè semel illi visus cælestis Agnus nunquam postea mente excidit, sed

sed velut semper eadem spectacula expeteret, illa crebrò inter lacrimas, & singultus verba jaculari ad cælos auditus est: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in calis.* Ad quæ verba mirabatur ille, non ad instar ceræ liquefcere hominum corda. Hæc itaque eremiticam vitam persuasere viro, mutato Venturæ in Vincentii tunc nomine. Insidiantem castitati suæ amorem cum sentiret, urticis tergum suum armavit; & ecce fugit ille, & dum flagra timuit, puerum scilicet se probavit esse. Sub hæc, ut tutior inter plures DEO militaret, Camaldulensium cœtui se junxit, & SYLVESTER deinceps dictus culinam primò, tum triclinium curavit, utrumque magno modestiæ, & obedientiæ exemplo. Orationis intereà perquam studiosus, eam imbibit sapientiam, ut jam Fullonē nostrum velut Apollinem doctissimi quique fidei Doctores adirent. Sub extremum morbum iterum Christum aspectabilem habuit. Et cur non oculos SYLVESTRO ille clauderet, ad quem semper ille levavit oculos? *Ex Chron. Camaldul.*

Tibi quondam abjecto, tibi extruso à Paradisi sedibus, tibi in pulverem & cinerem dissoluto potestas data est, ut de longinquo ad tuum revertaris auctorem, libertus efficiaris ex servo, de extraneo proveharis in filium.
S. Leo serm. 2. de Nat.

S. MARGARITA REGINA. 10. Iunii.

CApe has è MARGARITÆ Scotorum Reginæ muliebri mundo gemmas, nulli sexui, nulli ætati indecores. Malcolino Regi nupta, omniumque titulorum particeps, nullum cupidius, quàm matris pauperum affectavit, meruitque non in suo tantum regno, quod liberalitatem ejus non cepit;

pit; quemadmodum neque dies in pietatis operibus ei suffecit. singulis noctibus Matutinum, quem vocant, cursum de SS. Triade, tum de Cruce, denique de Virgine Deiparâ absolvit. Annexit his votivas pro mortuis preces, & Davidis Odaria: quid post hoc pensum somno relictum est? quem tamen ne tum quidem admisit, priusquam sex pauperum pedes abluisset. Diem sic auspicata est. Novem infantulos, quos à suis neglectos matribus educabat pro suis, nutricularum occupato officio, pascebat cibos ori ingerens, & quidem genibus nixa, ut reverentius haberi non possent, si vel cælo lapsi fuissent. Trecentis aliis, sed adultioribus, partito cum rege ministerio, cibum inferebat. Tum repetitæ preces utique penetraturæ cælum, cum tot pauperum appreciationibus sublevarentur. Iidem publicè prodeuntem stipabant catervatim, vile satellitium, sed ad Superos profecturæ percommodum. In cuius itineris procinctu cum semper steteret, edocta tandem divinitus est, quando migrandum esset. Mortua toto vulgus erubuit. Sensisse plausus diceres, quibus tam rara virtus in cælo accepta est. *Ex Surio.*

Septem horarum Canoniarum officia, quasi septem baptismatum lavacra in Ecclesia sunt gremio conjuncta; ut septem offensionum maculas, quas ex quotidiana vita hujus conversatione contrahimus, totidem orationibus quotidiana fluentis expiare conemur. S.P. Dam. op. 10.

SS. BASILIDES & SOCII MM.

10. Iunii.

Offenduntur delicati, cum viam iis regionem, quæ ad cælum ducit, stratam crucibus ostendimus; cum per vepreta, quæ Christus calcavit

per cruenta martyrum sanguine vestigia ducimus
 infuetos laborum; monstrabimus ergo nauſea-
 bundis compendium, quo BASILIDES, TRIPVS &
 MANDALES extra ordinem ad cælum sunt per-
 ducti. BASILIDES operam suam Platoni viro pri-
 mario, sed impiæ superstitioni dedito locabat,
 studiosè argumenta omnia celans, ex quibus
 agnosci Christianus posset. Non placebat Chri-
 sto, quòd tam doctè uteretur foro, & tempori pe-
 ritius quàm conscientiæ velificaretur, adversus
 præceptum suum duobus dominis emancipatus.
 BASILIDES nihil moratus Platonem deserit, &
 cum sociis rectà ad littus profectus, in navem inci-
 dit, quàm instructiorem nulla unquam aqua rulit.
 Christus ad clavum sedebat, Angeli remigum of-
 ficiū occupabant, nimis profectò familiariter
 officiosi. Quid metuerent felicissimi vectores?
 Syrtésne? an ventos? an fluctus? equidem credam
 optasse omnia pontum esse, & deesse littora pon-
 to; nam certè in portu denique trepidare cœpe-
 runt, adversà de Aureliani sævitie famà perculsi.
 Ausi ergo rogare Christum sunt, liceret sibi siccâ
 morte, & incruentâ defungi. Datum id quoque,
 placidâ compositos quiete Angelorū manus cælo
 intulerunt. Nihil audies suavius: & tamen fron-
 tem contraxisti, cum his quoque negatum audires
 duobus dominis servire. *Ex Mombrit. & P. de Natal.*

*Esto humilis & pacificus & erit tecum Iesus: si
 devotus & quietus, & manebit tecum Iesus. Potes citò
 fugare Iesum & gratiam ejus perdere, si volueris ad ex-
 teriora declinare: & si illum effugeris & perdideris,
 ad quem fugies, & quem tunc quæres amicum? Thom.
 de Kemp. l. 2. c. 8.*

S. OLIVA VIRG. MART. 10. Iunii.

Nobilis virgo fuit OLIVA. Id si cunis avia non crederem, monilibus crederem, vinculis inquam, quæ anno ætatis tertio decimo pro Christo gestavit, multum hoc muliebri mundo, & quantum nulla alia virgo, superba. At mors, sive ætati hoc, sive generis splendori dabat, noluit tam pulchram OLIVAM immaturo fato decerpere. Tyrannus tamen ex oculis patriæ (Panormum erat) in exilium transtulit. Nihil minus in hoc flore visa OLIVA. quid? quòd cæco eidemque pedibus capto cum luce Christum ostendit, & ad partem Christianorū docuit ambulare; cum alius interea quòd fidem nollet aspicere, oculos amitteret. Hos tamen etiam resipiscenti restituit, & utrumque ad martyrii cursum præmisit, cum ipsa ad eandem gloriam seriùs, & ingentibus triumphis grassaretur. Etenim flagris cæsa in silvas est relegata. Gratulatae sunt scilicet sibi hæc de OLIVA, sub cuius umbrâ etiam effera animalia mansuescere, & cum virgine innoxia totum septennium agere viderent. Interea homines in feras migrarunt. Nobilis enim juvenus dum feras captat, visâ virgine in retia Veneris se induit. At virgo, *An, ait, dubitatis partem virginitati homines, cui vim inferre bestia verentur aut, qui contra feras me defendit, DEVM pugnatorum pro me in feros homines dubitatis?* Dixit, & nassis et pedibus turpibus, mox martyres cælo transmissit. Ipsa etiam superatis denuò flagris & equuleo oleoque ab igne bulliente triumphans secundo gladio secandam cervicem, caput coronandum cælo dedit. Nunquam pulchrius laurus OLIVAM se junxit. *Ex Ferrario.*

Nec cedendum nec recedendum, etiamsi gravis tentationum fervor utriusque hominis statum afflixerit: eligamus potius ardere, quàm cedere. S. Bern. serm. 3. de Vig. Nativ.

S. BARNABAS APOST. II. Junii.

HAbuit BARNABAS patriam Cyprum; magistrum in lege Judaicâ Gamalielē; in Christianâ ipsum Christum. Apud hunc virtus illum in collegium discipulorum LXXII. adlegit; & melior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo aliquandiu comitem addidit. Lystris postquam Paulus claudum in pedes erexit, urbs utrumque velut cælo delapsa Numina excepit; jamque aras, & victimas, & geniales coronas paravit, in Paulo Mercurium, in BARNABA Jovem venerata. Et profectò, etsi, ut par erat, divinum honorem longè illi repudiarunt, officio tamen tunc melioris Mercurii functi sunt, DEVMque civibus nuntiarunt. Supervenientes quoque Judæi plausum lapidibus excitarunt, & his tantum non sepultum Paulum, facile hominem non DEVM esse probarunt. BARNABAS etiam Salaminæ à Judæis multis tormentis exercitus, faxis ultimò obrutus, & in ignem conjectus est. Sed ex hoc etiam rogo suum cælo Phœnicem vidisses prodire, integro etiam corpusculo, quod D. Marcus terrâ composuit. Multò post, cum in sedem Antiochenam invasisset nescio quis hæresi pestilenti afflatus, vigilavit pro re Catholicâ etiam mortuus BARNABAS, & Anthimo Salaminæ Episcopo tertium visus monuit, uti communis causæ patrociniū Constantinopoli apud Imp. susciperet; simul etiam indicavit, quo loco ossa sua, & unà volumen, in quo D. Matthæi

Evangelium exaraverat (nobilissima cimelia) reperiret. Et verò utrumque in honore habuit Zeno Imp. & corpus templo augusto honoravit, volumen verò auro inclusit, rectè gemmam esse ratus. *Ex act. Apost. Baron. & Lipp.*

Agnosce dignitatem tuam, & divinae consors factus natura, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire: memento cujus capitis & corporis sis membrum, & quia erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei regnum & lumen. S. Leo serm. 1. de Nat. Dom.

S. ONUPHRIUS CONF. 12. Iunii.

ONUPHRIUM toto hirsutum corpore, & rara humani cultûs retinentem vestigia, poterat sanè silvarum monstribus, & Satyrorum generi accensere Paphnutius, si in externâ specie substitisset. At ubi congressus vitæ genus moresque didicit, dubitavit hominemne potiùs an Angelum diceret. In Thebanâ regione monachum indurus, cum de Anachoretis fando accepisset, egressus in loca sola Angelum vitæ comitem habuit. Nactus deinde novi instituti magistrum, in tugurium palmâ inumbratum deductus est. Inde illi cibus, menstruo proventu; panem & aquam Angelus afferebat quotidianus minister. Octavo quoque die, ut delicatius vesceretur, is quoque, quem propriè Angelorum panem appellamus, majore pompâ, & debitâ Numini est advectus. Et potuit credo ONUPHRIUS hâc Cælitum amicitiam beatus hominum oblivisci: certè septuaginta totos annos mortalem non vidit, donec, quem nominavit Paphnutius Dei jussu moriturum invisit, ut è silvarum latebris tam rara virtus eo præcone protraheretur

traheretur in lucem. Mortuo Angeli cecinere
 lessum : palma & casa quasi desiderio viri , &
 alium quemcunque dominum indignantes pro-
 cubuerunt. Quid ad hæc nostra juventus , mori-
 bus juxtà capillisque luxuriantibus in Nabucho-
 donosorem citius, quàm ONVPHRIVM degenera-
 rura ? Ex vit. PP.

*Comas aut vestes supervacuas curare, vel infelicitum
 est, vel injustorum. Nam quid ex talibus expectandum
 aut suspicandum, nisi ut lascivus ille ornatus feminas
 prætereuntes invitet, aut alienis matrimoniis insidietur?*
 S. Bas. de Legend. lib. Gentil.

S. PEREGRINUS EP. M. 13. Junii.

CETHEVM in cunis , in tumulo PEREGRINVM
 dixere. Aternensium Pontifex fuit , cum è
 Langobardis in urbe tyrannidem Alais & Umblo
 obtinerent. Horum ille sæviriem detestatus, Ro-
 mam ad commune orbis asylon D. Greg. Pont.
 Max. transfugit. Sed populus Aternensis PEREGRI-
 NVM jure optimo jam olim suum repetiit, & verò
 judice Gregorio etiam obtinuit. Interea cum nec
 ista regna socium ferrent , tyranni duo armis inter
 se collisi sunt, & Alais in suum præsidium, sed exi-
 tium urbis tertium hostem Vitalianum Comitem
 introduxit. Tunc verò , auctore CETHEO, cives
 arma capiunt victumque Alaim, & vinctum Um-
 bloni tradunt. Mox tamen adest CETHEVS , & vi-
 tam capto orat. Sed quæ alteri prodesse studuit,
 sibi etiam nocuit misericordia. Umblo Alais fa-
 ctioni CETHEVM favere credidit. Quare utrum-
 que ad gladium damnat. Cæso Alai cum carnifex
 Pontifici instaret, omnes ad officium vires amisit;
 at non consilia tyrannus. ex ponte in Aternum
 fluxium

fluvium jubet præcipitari. Enatanti saxum jubet appendi ingens, iterumque mergi. Sed vel mortui virtus supra aquas se extulit, docuitque etiam saxa natare. Tumulum deinde primum ignoto Arrianenses dederunt, unaque PEREGRINI nomen. Illum facibus suis cælum nobilitavit; quod ipsum miraculum testis, & ipse miraculosus (cæcus) vidit. Ex Ferrar.

Si aterni Patris inhabitare domum, si rei celestis paricidii teneri nolumus, tetras invidia excludamus insidias: invidiam armorum caelestium viribus comprimamus: quia sicut nos Deo jungit charitas, sic à Deo invidia sejungit. S. Chrysol. serm. 4.

S. ANTONIUS DE PADUA C.

13. Iunii.

ANTONIUS, quem vulgò Patavinum dicunt. S. Francisci discipulus, suis ad conciones verbis à flagitiosâ vitâ quàm plurimos revocavit. Eam ob rem cum oculi dolerent inferno hoste decumbentis in lectulum spiritum elidere faucibus interceptis aggressus est: sed ille unico MARIÆ nomine simul viam loquelæ fecit, simul invidiatorem in fugam dedit. Hæreticum, qui facti Eucharistiæ cultum negaverat, ad saniores mentem & ipsum reduxit. Cum enim mulus impudenter negato aliquàm multis diebus, sed præbito dum lautè pabulo, ad ANTONIUM vocatus accessisset, sanctiusque epulum pronus in pedes adorasset, sapere à jumento suo etiam dominus dicebat. Pro concione funebri lucrionis cujusdam palàm edixit, illum æternis inferorum flammis addictum esse, ejusque ad eò rei indicium fore quod illius non pectore, sed arcâ cum nummis suis clausam

sum. Præter alia multa, quæ fecit admiratione dignissima, puerum demortuum vitæ reddidit, quò is parentem ANTONII de homicidio accusatum innocentem absolveret. Supremum ægrotantem CHRISTVS invisit, obitum verò ejus per urbem fando infantes vulgavit, quò minori eloquio, hoc majore virtutis præconio. *Ex Surio.*

Totomentis affectu beatissima Virginis nos intercessionibus committamus, ejus patrocinia omni nisu imploremus; ut dum supplici obsequio eam frequentamus in terris, ipsa nos sedulâ prece commendare dignetur in calis. S. Aug. in F. Alf. B. V. hom. 3.

S. HELISEUS PROPHETA. 14. Junii.

PROFUEKIT juvenuti, HELISEI Circenses ludos spectare; redeat inde modestior, & reverentior canæ ætatis. Bethelensis pueritiæ grex calvitium sancti senis vernaculis jocis proscindebat. eam dicacitatem ursi duo, quadragenis binis è toto numero conceptis, castigarunt: ne ferulas tantum, sed & feras puerilis lascivia sibi metuendas existimet. Cætera illius viri prodigia quis memoret? aquarum cursum stetit, amarorem correxit, oleum auxit, lepram deterfit, infœcundis conjugibus prolem dedit, orbis reddidit; genti suæ insignes victorias, eidem fame laboranti gratuitam annonam præbuit. Illud æternâ memoriâ dignum, & identidem parum fidentibus Deo suggerendum. Obsessus à Syris, jamque pro desperato à familiari servulo defletus, paventem hoc promisso erexit: *Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Trepidanti nihilominus oculos prece aperuit, & diffusa toto monte auxilia ignitasque acies ostentavit. Hostibus vicissim suis offusâ

oculis animisque caligine, torpentibus ducentem se obtulit, eoque deduxit, unde si jure in eos agere libuisset, pedem nunquam erant relaturi. Hoc tu robur animi pallio Eliæ imputabis. rectè: sed cur times, qui in baptismo JESVM Christum induisti? *Ex 4. Regum.*

Sit in gestu tuo gravitas, in incessu honestas: nihil dedecoris, nihil lascivie, nihil petulantie, nihil insolentiae, nihil levitatis in te appareat: animus enim in corporis gestu apparet: & species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis. Ibid. l. 2. Soliloq.

S. VITUS MARTYR. 15. Iunii.

Liberalius cælum Româ etiam pueris triumphum non negat. Certè VITVS adolescentulus duodecim annos natus plures jam tyrannos, eosque inter parentem triumphavit. Flagra enim primò Christianâ fortitudine concoxit, & poterant videri aërem verberasse non VITVM tortores, nisi & his, & unâ Valeriano Proconsuli manus diriguisset. Restituit tamen hanc martyr tyranno, ne quem vinceret, deesset. Hinc aulâ est inclusus à mulierculis, & ceteris illecebris instructâ, quò blandiore, hoc periculosiore scilicet carcere. Sed prælianti Cælites adfuere tantâ luce coruscanti, ut lucem curiosi parentis oculis eriperent. Et hos tamen, quò filium sæpius victorem vel invitus videret, ingrato reddidit; ipse, atrociora patre supplicia meditante, Angelo remige usus, in alias terras trajecit. Decrevere nimirum cæli, ut Romæ etiam triumpharet hæc virtus. Huc itaque evocatus, è Diocleriani filio malum hospitem orcum pepulit; sed stipendia tulit vincula. Ad bestias deinde damnatus, etiam has citius cicures, quam

quàm tyrannum reddidit. In ollas porrò injectus, igne ac pice timendas præ thermis suis has Diocletiano laudavit. Ad extremum ex equuleo à genio tutelari ad ripas Silari asportatus, placidè inter umbras arboris animam victricem cælo transmisit, puer, si annos; senex, si triumphos numeremus. *Ex Suario.*

Neganda sunt terrena omnia, ut melioribus abundemus, & contemptu universorum Christus sequendus est; & spiritualium Æternitas terrenorum est damno comparanda. S. Hilarius in Evang.

S. LANDELINUS CONF. 15. Junii.

IN latrones incidisti, quisquis è bonorum solidatio in malorū contubernium transisti. Hoc adeò LANDELINO crede. Hic è primâ Gallorum nobilitate, & à puero inter literarum & pietatis studia educatus, dum aures vocanti DEO claudit, aperit avocantibus; dum amicis esse amicus ad aram studet, penè ad inferos fuit. Certè queni inter religiosorum hominum cohortes militare cognati noluerunt, inter publicos prædonum manipulos mereri viderunt. I nunc sanguis, & aspergi maculam generis splendori querere, cum in DEI servitium abeunti tui; at tu adolescentia audi, quantum custodi Angelo debeas! Diripiendis cujusdam ædibus nox erat dicta à LANDELINO. Sed fortior mors LANDELINI familiam prior diripuit, socium subitò auferendo, quem in paucis ille charum habebat. Ob id tristiori, in somnis bonus genius astitit, & malum socium à pejoribus geniis ad inferorum flammis abripi monstrans, *Heus, ajebat, an & nunc socius huic eris?* Enimverò non placuit jam Theseum esse, Pirithoo ad orcum ab-

N 5 eunte.

eunte. Damnat proinde vitam pristinam, ter supplex ad DD. Apostolorum it limina, & post extracta compluria cœnobîa, & MAGNÆ MATRI templum, post edita miracula, sub annum DCL. cilicio, & cineri incubans, sanctè emoritur. Ubi tunc focii olim peccantis? crede iterum LANDELINO, quisquis cum pluribus peccas, aut solus flebis, aut serò flebis. *Ex Surio.*

Melius est habere malorum odium, quàm consortium: sicut bona multa habet communis vita Sanctorum; sic plurima mala societas affert malorum. Isidor. l. 2. soliloq.

S. BENNO EPISC. 16. Junii.

BENNO ex illustri Saxonum sanguine monachus, ex monacho Misnensium Pontifex, Slavos sub CHRISTI jugum egit. Captus bello Saxónico ab Henrico IV. Imp. & libertati restitutus, Romam abiit, pars magna illic Concilii futurus: inde redux templi sui claves, quas in Albim, cum iter ingrederetur, abjecerat, in pisce recepit: pedo aquam è terrâ, precibus ex aquâ vinum dedit; sibi per undas viam stravit: manibus Cœlitum, non semel ad suos per magna itinerum spatia compendioso est transportatus. Misniæ Marchionem, quo die alapam ab eo acceperat, hoc eodem, anno ventente, moriturum dixit, & vatem fuisse mors minime mendax ostendit. Claruit innumeris semper miraculis; tum præcipuè, postquam Monachum Bojorum caput translatus est. Ibi ille pugnantem in se populi pietatem beneficiis quotidianis certat vincere, certamine hoc etiam jucundiore, quod clientes vel victi triumphant. *Ex Hieron. Emsero.*

Cogita peregrinationis tuæ miseriam, cogita vitæ humanæ

16. Iunii VITÆ SANCTORVM. 299
*humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam; & ejus-
modi cogitatione, si perseveraveris, parum senties quic-
quid foris videtur molestum. S. Bern. serm. de om. SS.*

S. TYCHO EPISC. 16. Iunii.

Damus Euclionibus mancipiis pecuniæ rei
augendæ magistrum doctoremq; gratissimæ
artis, quâ granaria frumento stipentur, numusque
in arcâ crescat. TYCHO is est, ætate puer, sed cano
sensu, avari parentis filius, multò tamen peritior
pecuniariæ venationis. quod vel hinc intelligas.
Pater oneratum panibus in forum miserat: puer
indignatus unciarium quæstum iis venditis redi-
turum, è merce stipem facit, eamque in obvios
pauperes effundit. Patri æs reposcenti artificium
suum aperit; panes apud Christum in fœnore po-
sitos, & quidem centuplicato. eam in rem se syn-
grapham accepisse. Pater nulli rei præterquam
oculis suis crediturus, puerilis fidei experimen-
tum in horreis quæsit: & ecce tibi quæ pridie
vacuefecerat, importatum divinitus frumentum
agrè ceperunt. Eâdem facilitate cellas replevit.
Aridum vitis surculum. & pridem exsuccum humi
depanxit, neque vitam illi modò, & germinandi
vim, sed perpetui etiam gloriam miraculi contu-
lit. Unus enim ille palmes, quo die anniversaria
TYCHONIS memoria peragitur, sub initium rei
divinæ liventes uvas ostentabat, quæ ante sacrifi-
cium finitum ad maturitatem percoquerentur,
præcocem suo satori vindemiam præbituræ. Quid
ad hæc avari? In scholâ Pluti negant recepta esse
paradoxa Christi. *Ex Menæis.*

*Quid vereris fluxum & fragile bonum facere sem-
piternum? aut thesauros tuos custodi Deo credere? ubi*

non furem pradamq; iuvenis, non rubiginem, non yranium: qui apud Deum dives est, pauper esse nunquam potest. Lactant. in Epit. Instit. c. 12.

SS. QUIRICUS & JULITTA MM.

16. Iunii.

Datur optio; exempla Christianæ fortitudinis à trienni puero, an feminâ malis petere: hujus sexûs, illius ætas convitium facient ignaviæ tuæ, si detrectas vel desperas sequi hos duces; & audies sanè quod olim Augustinus: *An non potes quod iste & ista?* Exercebat Tarsi quæstionem de Christianis Alexander. JULITTA QUIRICVM filiolum ultro ad tribunal non duxit, sed tulit, puto ne unicum Abrahæ in hanc rem facinus ostendi generi humano posset. Alexander in disparem prædam non eodem affectu grassatus, matrem atrocissimè, filium blandissimè excepit, haud scias in leoninâ an vulpinâ pelle nequior. Certè QUIRICVS illius receptus sinu, appetitus osculis, inescarus promissis, nullum, neque plorandi, neque quiritandi finem fecit; cùm JULITTA contrâ pendens in equuleo, & taureis conscissa, gemitum nullum ederet, ut propriâ amborum confessione constaret, utrius conditio esset iniquior. Consumptis lacrimis, imbellia etiam arma expeditit triennis heros, & nuper natos dentes tenerosque ungues strinxit in adulatorem suum, luctando effecturus, ne mitior in se, quàm in matrem esset. Et potitus est voto suo; Alexander ad tribunalis gradus victori animam elisit. Quid mater? nunquam lætiore vultu suum pignus aspexit, idemque beneficium poposcit, ut quàm citissimè eum assequeretur. Impetravit: laniata unguis, perfusa pice cervicem securi

securi subdidit: sed quantumcunq; properaret, filius cælū subeunti jam coronatus occurrit. *Ex Sur.*

Non solum effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devota quoque mentis servitus immaculata quotidianum Martyrium est. Illa corona de rosis & violis plebitur, ista de liliis. S. Hieron. in Epitaph. Paulæ.

S. LUDGARDIS VIRG. 16. Iunii.

Nulla pulchrior virginitate est virtus, quæ DEVM etiam hominis facit rivalem. Ambierant LVDGARDIS thalamum complures, nec ignobiles terræ filii, & ex his familiarius uni fortè loquebatur, cū ei sanctior sponsus CHRISTVS pectus suum, & in pectore cor faucium ostendit, & extra hoc nihil deinceps iussit quærere. Inde videlicet humana omnia usque ad eò illi jam vilescere, ut præter crucifixi nullos amores sciret, præsertim ubi ab ejusdem vulneris nectare ebria, tota jam ibi habitabat, ubi sanctior amor degit. Deposuerat DEI MATER apud LVDGARDEM querelas suas, quibus filium ab Albigenisibus hæreticis iterum in crucem agi dolebat. Hic ut luctum virgo suum testaretur, VII. annorum sibi jejunium indixit, alterumque æquè longum pro peccantium salute adjecit, & subinde SPONSVM irato PATRI vidit supplicem, & vulnera velut clypeum pro orbe perituro objicientem. Martyrii desiderio tam bulliebat in amante sanguis, ut arteriam aliquando ruperit, cælumque idem præmium, quod martyribus sponderit. Sacrum epulum adire inter Angelos non semel, quandoque etiam inter MARIÆ & D. Joannis comitatum visa est. Ante obitum oculis orbata, nunquam tamen magis cælestia, quàm tum vidit. Morienti enim cum

MATRE, & aliis Cælitibus obvius SPONSUS venit: quibus ducibus in cælos abiens, errare etiam cæca non potuit. *Ex Surio & Lippeloo.*

Putásne Filium Dei reputat JESVM, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? S. Bern. in Serm.

S. RAINERIUS C. 17. Iunii.

RAINDERIVS Pisanus cupiditatum æstu abreptus, ad infames adolescentiæ scopulos naufragium innocentiae fecit: enatavit tamen arreptâ pœnitentiæ tabulâ, & Sacerdoti expiandum se stitit. Sed obstitit noxius pudor, ne omnia probra detegeret: donec Angeli voce silentium increpantis animatus bonâ fide se reum peregit. Judex confesso mulctam nullam imposuit, profectus ejus arbitrium cæleste sibi numen reservasse: ex eo tempore cum finem flendi nullum faceret, oculi cum lacrimis extillarunt, tanto parentis dolore, ut vitam abrupturus sibi fuerit, nisi Deus precanti lumen reddidisset. Publicus deinde pœnitentiæ præco factus, reversusque Hierosolymis inusitatam in paternis ædibus Mephitin est odoratus. Causam indaganti, ita olere opes, Christus respondit, cæterumque luxus apparatus. Ergo iis quoque abdicatis, Hierosolymitanum iter radi sago indutus repetiit, ad durissimas leges vitam omnem exigens, maximè postquam sobriè cum viro sacro prandentis linguam vespa aculeo fodit, velut temperantiæ vindex. Posthac enim ad panem & aquam obsonium nullum adhibuit: condimenta tamen cælo petebat, sæpe Christum cum Matre habere convivas solitus, quod prodigiis omnibus,

quæ

quæ plurima patravit, illustrius fuit. Hoc illum contubernium sanctum fecit, miracula probarunt. Mortem an. M. C. LXI. obiit. Nos ejus virtutes taceremus, si sua olim scelera tacuisset. *Ex Phil. Fer.*

Heu cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuiſti? Melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die judicii coram tot millibus hominum gravi repulsâ denotatum tabescere. S. Aug. de Visit. Inſir.

S. AVITUS CONF. 17. Junii.

Ostendi utique AVITVM Deus mundo voluit, cui tantam nascenti lucem circumfudit, quantam humani oculi ægrè paterentur. Ipse tamen latebras quæſivit Mictianensi monasterio abditus, magni nominis famam adeò non affectans, ut nullo se libentiùs quàm Bruti vocabulo compelli audiret, præter spem votumque ad honoratiora munia productus, fugam iteratò iniit, & inter nemorum avia mapale molitus, sibi Deoque vixit. Sed illum nocte intempeſtâ cælesti radiantem luce subuleus reperit, nullo magno viri incommodo, nisi in eam usque diem elingui, & mutuo signo crucis loquendi facultatem dedisset: quid enim ille prolixius postea, quàm sui medici laudes loqueretur? Ejus præconio proditus, tertiam fugam parabat, nisi Præſulum auctoritate motus, boni publici rationem privatis commodis potiorrem habuisset. Ex intervallo cæco lumen, mortuo vitam reddidit, quibus rebus adeò populorum adversus eum accensa studia sunt, ut Aurelianenses Dunensesque mortui exuviis inhiantes, propè ad arma venerint. Jam castra castris opposita stabant, concursumque fuisset, ni Leusus quispiam summo

gene-

genere vir furentes monuisset, ne crudeli pietate Divum offenderent. Utinam pari studio pro virtutibus certaretur, quas in medio positas nulli invidet nobilissimas sine dubio omnium Reliquiarum. *Ex Surio.*

Uberiore fructum prabet audientibus Sanctorum vita, quàm miracula: Illa exigit imitationem, ista ingerunt admirationem: miracula docent quàm sancti fuerunt; vita verò insinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant sancti. S. Pet. Dam. l. i. ep. 19.

S. LEONTIUS M. 18. Iunii.

VEspasiani ævo, LEONTIVS militiæ artibus clarus Christianæ pietatis pœnas dedit, Arcadio mite Cæsaris ingenium in virtutum excidium incitante. Datur Hypatio negotium hominis comprehendendi; is in procinctu febre corripitur; quâ se non antè levandum, Angelo docente, intelligit, quàm Deum LEONTII supplex inlammasset. Dictum, factum: etsi ne sic quidem crudele ministerium deseruit; sed cum Theodulo Tripolim LEONTIO imminens abiit. Enimverò non refugit captatores nobilis præda; quin imò domum deductis, comiterque acceptis, ultrò sese aperuit, sed jam attonitis inauditâ humanitate, & imperii oblitis. Tum demum Hypatius suspicere LEONTII Deum, qui suis cultoribus hos mores, talem indolem daret; eundem Theodulus deprædicare, unaque poscere tam sancto utrumque Numini initiaret. Favit cælum votis, & roscida nubes in imbrem soluta caputibus superfunditur. LEONTIVS tinctos Deo consecrat. Adrianus re intellectâ furere, & nihil profecturis sævitæ artibus tentare veterani pariter & tyronum constantiam; & hi

hi quidem, post equuleum, unctum, & verbera, capite imminuti sunt. LEONTIVS longâ patientiâ præsidis ingenium lassavit, & totum carnificinæ apparatus exhaustit; donec pendenti continuâ verberatione anima extorta est. Utinam, quemadmodum Themistocli trophæa Miltiadis, ita nobis LEONTII triumphus somnum excuteret! *Ex Surio.*

Quem bene vivere omniâq; ad Dei cultum referre intelliges, etsi semper in carcere vixerit, vel pauper sepulchro revulsus combustusq; fuerit, si tractim perdendum corpus præbuerit, nihilominus hunc beare, hunc felicem dicere, hunc ad sidera tollere memineris. S. Chrysf. ser. de Virt. & Vit.

S. OSANNA V. 18. *Iunii.*

INter Deum & OSANNAM Mantuanam continuum certamen amoris fuit. Data utrinque acceptaque pignora, quibus neque Deus charius quidquam, nec pretiosius mortales habent. Virgo illibatam pudicitiaæ florem Deo sacravit: ille vicissim arborem suæ crucis orantis humeris imposuit, ex vero deinceps dicturæ: AMOR MEVS PONDVS MEVM. Omnes certè OSANNÆ cogitationes eò ferebantur: iis maximè diebus, quos amor ejus in cruce pendens fecit sanctiores: cui tamen satis non fuit animo fauciam aspicere, nisi corpori etiam stigmata infingeret, non nisi paucissimis, & in omnia familiaria jura receptis, ut tesseram amicitiaæ concessa. His ditata characteribus satis utique literata fuit, potuitque in hâc sancti amoris scripturâ acquiescere. Accessit tamen auctarium, & sub Deiparæ disciplinâ nostrum etiam Alphabetum didicit: ut his quoque humanæ ruditatis elementis proficeret ad magisterium virtutis: neque

que enim quemquam postea puduit tot cælestis sapientiæ insignia circumferentem, prospicientem futura, familiarem Angelis consulere, aut audire monentem. Viri Principes agendas illi suas apud Superos causas detulere, certâ spe victoriæ, si patrocinium suscepisset. Et hoc tantum orbis miraculum anno M.D.V. terras deseruit, ne queri quisquam possit, nullam nostro ævo magnam virtutem gigni. Quid vis? an ulli Deus invidet suam crucem? sed nos delicati humeros subducimus. *Ex Phil. Fer.*

Tolle Crucem tuam, & sequere Iesum, & ibis in vitam æternam: præcessit ille bajulans sibi Crucem, & mortuus est pro te in Cruce; ut & tu tuam portes Crucem, & mori affectes in Cruce. Thom. de Kemp. l. 2. c. ult.

S. BONIFACIUS EP. MART.

19. Iunii.

FUIT BONIFACIUS Ottoni Imp. sanguine, plus amicitia junctus, quæ quidem tanta inter illos erat, ut cum familiariter illum hic compellaret, animam suam identidem diceret. Liberalibus artibus omnibus, musicis præcipuè instructus, dum modulos in æde cognominis sibi D. BONIFACII instruit, cælesti Numine repente afflatus, *heus!* exclamat, *quid vanam ego nominis umbram gero; quid Martyris titulum circumfero, si non victorias etiam & palmas? Superos testor, & cognominem Divum, aut non dicar BONIFACIUS, aut ero.* simul ad monasterium abiit Martyrii tyrocinia positurus. Avelli Ottoni animam suam vidisses. At ille bis tantum in septimanâ cibum capiens crebrò interrim corpus in vepres abiciens ad martyrurum pa-

tien-

cientiam se durabat. Post Romam profectus, & Archiepiscopatus honore mactatus, & jam ad purpuram aspirare ausus, in Russiam abiit. Ibi post multa ludibria rex cum Divo ita paciscitur. Sirogos geminos, qui juncti flammam sociarent, illæsus perambularet, tum sese etiam in Christianorum sententiam pedibus ambulaturum. Dictum, factum. BONIFACIVS per rogum, rex ad partes Catholicorum transit. Ad regis porrò exemplum innumera multitudo confluit. Mox sua laborem præmia secuta. BONIFACIVS à germano Regis capite truncatus, nomini denique suo satisfacit. Ex Pet. Damiano ap. Sur. in vitâ S. Romualdi.

Universi Christiani agnoscant se regii generis, & sacerdotalis officii consortes. quid enim tam regium, quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? quid tam sacerdotale, quàm vovere Domino conscientiam puram, & pietatis hostias de altari cordis offerre? S. Leo serm. 3. in ann. Ass. suæ.

S. ROMUALDUS AB. 19. Iunii.

Spectator fortè ROMUALDVS adfuit, cum patrens duello germanum suum sustulit. Itaque cum animo suo putans censuit, quod pater manu, hoc se oculis parricidium perpetrasset. Quare ad noxam expiandam, concedere ad aliquod tempus in cœnobium statuit. Sed familiaritate cœnobitæ, nescio cujus, & aspectu è cælo semel iterumque ad se venientis D. Apollinaris captus, pedem, ne sæpius offenderet, nunquam jam referre in mundum statuit. Quare fundamenta Ordinis illius jecit, quem hodie Camaldulensem dicimus; qui quidem in quantum brevi fastigium assurrecturus esset, scælæ indicarunt ROMVALDO per quietem.

tem visæ, in quibus suos pulchro ordine ad cælum vidit conniti. Neque dubitarunt nobilissimi quique proceres ex aulâ Ott. III. Imp. hâc viâ cælum petere. Ipse Imp. Romam abiturus, post reditum iisdem accessurum se sponndit. Sed ROMVALDVS illa subjecit: *Si Romam videbis, Ravennam ultimùm vidisti.* Nec fefellit. Redeuntem mors ex itinere insidiis suis excepit, documento futurum iis, qui cum mundo exire laborant, iter tamen differunt, aut viarum ambages quærunt, cum compendia haberent. Ad Cæsarem quoque Henricum cum venisset ROMVALDVS, velut ad prædam accurret aula, vestemque ejus pelliceam diripiens, ostendit quanti virum faceret, è cujus veste unicum pilum tanti fecit. Henricus ipse in eam vocem erumpere auditus est: *O anima hæc mea domicilium tuum haberet corpus!* Audi orbis. Cæsaris anima non credidit augustiùs se posse habitare, quam in religiosi hominis corpusculo. *Ex Brev. Rom. & Sur.*

Mors non miseratur inopiam, non divitias reveretur, non generi cujuscumque, non moribus, non ipsi denique parcit aetati: nisi quòd senibus in januis, adolescentibus in insidiis est. S. Bern. l. de Perf. sustin. c. 4.

S. JULIANA VIRG. 19. Iunii.

Nimirum etiam hæc rosa Florentiæ debebatur, ubi Ordo Servorum VIRGINIS floret. O aulæ mancipia, quid ad hæc VIRGINIS servitia vos? eja discite saltem honestam servitutem servire, neque Virginem erubescite Magistram in eâ arte habere, qui Palladem MARIAM salutatis. Fuit JULIANA è nobili familiâ (Falconeriam dixere) sed in servitium MARIÆ à teneris abducta. Hebdomas illi sic agebatur, ut feriâ IV. itemque VI. ob
Chri-

Christi patientis memoriam nihil omnino cibi; sabbatho panem tantum, & fontanam admitteret. Interea tamen animum cælesti pane pascebat, pincernis oculis meras lacrimas affudentibus; Christi tormenta quàm altè animo infixæ gestavit, mors probavit, quæ in adverso pectore manifestam Servatoris à cruce pendentis imaginem ostendit, utique illi similem, quam vidisses, si cor inspexisses. Cæterum multis jejuniis exhausta stomachi dolores contraxit ingentes, & ultimam ciborum nauseam. Et verò terrena, ut quæ nunquam illi sapiebant, facile neglexit; at divinum cibum cum sic ægra non posset accipere, fame scilicet credebatur ante mortem moritura. Voluit tamen in conspectum afferri Angelorum ferculum, saltem ut oculos famelica pasceret. Nec contenta iussit pectori applicari. Tum denique inter risum blandum expiravit, & ut scires saturam abiisse à mensâ sacrâ, nihil ex epulo sacro reliquum esse visum est. *Ex Ferrar.*

Scit quicumque sensum Christi habet, quantum pietati Christiana expediat, quantum Dei servum & servum Redemptionis Christi deceat, unâ saltem aliquâ diei horâ Passionis & Redemptionis ipsius recolere beneficia. S. Bern. l. de Vit. solit.

S. MICHELINA. 19. Iunii.

Laborabat MICHELINA Pisarenfis eodem, quo matres pleræque, morbo, impotenti erga unicam prolem affectu: ei medicinam facere Syriana piissima fœmina cum vellet, totumque conubernalis amorem Creatori affigere, diu frustra fuit: donec inter preces MICHELINA immutata, animo ausa est cum Deo pacisci, si filii curam in se

recepisset, nihil in humanis sibi tanti fore, quo vel ad momentum temporis ab ejus servitio avocaretur. Acceptavit conditionem Christus, eique de cruce pollicitus est, obicem pietatis illius sese amoturum. Regressa domum filium exanimem reperit; cum quo simul ac supervacuas curas tumulavit, opes quoque, & cætera malorum irritamenta sine gemitu abdicavit, omnia vicissim sancti amoris insignia assumpsit: vestem setis horridam cinctu ferreo corpori astrinxit; flagro ferreo concisum corpus nuda humus excepit: pulvilli vicem truncus fuit: stipe ferè vixit, aut mercedulis sui laboris. Quò quisque à morbis deformior fuit, eò impensius MECHELINÆ charitate sublevabatur: satisque constat exesum elephantiasi ejus osculis perfanatum, quibus singula ægri ulcera libaverat. Ad cælum an. M. CCC. LVI. abiit. Flagrum ejus, cilicium, zonaque ferrea in Virginis Salutatæ templo asservantur, sacrae militiæ tyronibus monstranda. His armis cælum expugnavit femina. Sperabitis molliora viri? *Ex Chron. Minor.*

Sic propinquos sicut nosmetipsos odio habere precipimur; ut hos ad aeterna rapientes, eorumque carnalem gratiam, cum præpedit, postponentes, discamus, temperata eos discretionis arte, & convenienter diligere, & salubriter odio habere. S. Greg. 7. Mor. c. 14.

S. NOVATUS PRESBYTER.

20. Iunii.

Non jam Priamum aut Nioben Græcus Parnassus cantet in funera sua fœcundos. At nos PVDENTI Senatorii ordinis Romæ viro NOVATVM & TIMOTHEVM filios geminos, totidemque filias PVDENTIANAM & PRAXEDEM gratulamur, om-

omnes cum ipso patre cælo insertos. Et felicitatem hanc tam sancta familia ducibus Apostolorum DD. Petro & Paulo debet, qui post hospitii tesseram PVDENTEM sacris undis admoverunt, & utianimum, ita animi socium corpus candidâ veste induerunt. Et servavit ille utramque ab omni labe eximiam, ædesque suas commune miseris hospitium fecit. Demortui virtutes hereditario jure sibi debitas liberi certatim involarunt, quamvis vivente, & arridente patre, idem jam fecerant. Ædes in templum versæ; patrimonium in pauperes dilapidatum; tota familia (capita numerabat XCVI.) omnis sacro fonte lustrata; latebræ afflictis Christianis datæ; firmati nutantes; roborati morientes; mortui terrâ tumulati. Sacra à NOVARO & TIMOTHEO fratre omnibus ministrata. Denique non jam in templum tantum, sed cælum migrasse domum tam sanctam dixisses. Certè cælo digna ab ipso cælo judicata est nobilissima hæc familia; in quam utinam more veteri transire ignobiles nos terræ filii aliquando possimus! *Ex Ferrar.*

Voca Deum Patrem, & da operam, quatenus tibi sit celestis vita, divini mores, & forma Deitatis tota tua præferatur in formâ; quia celestis Pater respondentes generi suo filios muneribus ditat divinis; degenerantes ad pœnalem revocat servitutem. S. Chrysol. serm. 71.

S. HEMMINGUS EP. 21. Junii.

IN HEMMINGO Aboënsi Pont. à primis annis jam eæ morum gemmæ emicuerunt, quæ infu-
læ olim majestatem decerent; ita jam tum in pue-
ro nihil puerile præter ætatem erat. A ludis omni-
bus alienus, totus studiis seriis jam tunc occupa-
batur, & in his ipsis unius DEI gloriam quærebat,
sem-

semper in cælum collimans unicum scopum suum, sed Christiano homini, ut non aberret, satis magnum. Et talis ille etiam duravit, postquam Collegio Canonorum adscriptus fuit, nisi quoddam tunc, ut alii nummorum, ille virtutum potius censum augetet. Dignum ergo tunc Superi judicant, cui D. Brigittæ ortum non sine miraculo nuntiarent. Visa enim est precanti HEMMINGO puella è nube lucidâ librum apertum orbi porrigere, & vox ad aures ejuscemodi allapsa: *Nata est Birgero filia, cujus admirabili voce univèrsus mundus personabit.* Sed & ipse HEMMINGVS pro concione saxa molire, & ad DEVM feros animos voce suâ trahere, & jam Regibus etiam ac Pontificibus reprehensione aures vellicare; omnes intereà orationes incipere à VIRGINIS laudibus, & suis scilicet finire. Temporis avarus ad verba otiosa mutus adfuit, ad epulas verò Tantalus. Pro oculorum portis excubabat, ne has ulla femina visa subiret, erantque tam sanctis vigiliis tessera illa verba è sacris nostris: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Inter preces sæpè aliò, moriens denique inter easdem in cælum est abreptus. *Ex Vite Aquil. Vastovii.*

Deuste, qui caelestem tibi Patrem vocas, ad caelestem vult tendere naturam, ut generi tanto vitâ respondeat; ne terreni mores degenerent, quos caelestis domavit & contulit natura. S. Pet. Chrysol. serm. 69.

B. ALOYSIUS GONZAGA

Soc. I. C. 21. Junii.

MORITURUS ALOYSIUS nascendo erat, si non parienti matri Mater MARIA affuisset. Inter prima ejus verba JESVS & MARIA feruntur, boni ominis. Puerulus etiamnum in singulis scalarum

gra-

22. Iunii.

VITÆ SANCTORVM.

313

gradibus scalam cæli MARIAM salutavit. Hujus horas quotidie, Sabbatho etiam jejunos dixit. Ad hujus effigiem, quam Florentia ANNUNTIATÆ titulo colit, florem virginittatis consecravitt, semper, dum vixit, intactum, quia HORTO CONCLUSO commiserat. Interim catenas flagelli, calcaria cilicii loco, quamvis currenti spontè, corpusculo admovebat, victus vix unciam appendebat, feminarum & chorearum hostis, Imperatricem, quam tres annos quotidie adibat, nunquam aspexit, precibus tam ubique addictus, ut loqui eum angulis dicerent, rectius Angelis dicturi. Aiebat frequenter: *Non videre se, cur non mortales omnes religioni se manciparent.* Et certè Senis cum ad Sodales Marianos diceret, bene multis id persuasit. Ipse, cum ASSUMPTÆ VIRGINIS die illa è cælo audisset, *Societatem JESV ingredi*; post longas cum patre pugnas, MARIÆ JESVM junxit. Hunc, quoties stude- ret, in genua provolutus vocare; hunc sub panis velo latitantem ante & post ludum literarium salutare; sacrificiis quinque senisve minister assistere, ad conspectum HOSTIÆ lacrimis manare; cum verò eo epulo frueretur, inundare etiam. Itaque nullius noxæ gravioris sibi conscius Angeli nomen meruit; ut terra cælum dici posset, si plures Aloysios haberet. *Ex Virg. Cepario.*

Persuasum habe, perinde te Angeli ductum sequi oportere, atque cacum quempiam, qui viarum discrimina ignorans, ejus, qui baculo gressum illius regit, providentia in omnibus confidit. Ex dictis B. Aloysii.

SS. ACHATIUS & SOC. MM. 22. Iunii.

Quale illud cælo spectaculum fuit, cum dena hominum millia, pro optimâ causâ & ampli-

O

fican-

ficando crucifixi nomine, crucibus penderent? Dux felicissimæ multitudinis ACHATIVS fuit, cui contra innumerabilem hostium vim pugnato Angelus victoriam spondit, si Christiana sacra, à quibus alienus tum erat, cum sociis suscepisset. Placita conditio est; Christum adoravit, pugnavit, vicit: utque Deum deinceps ritè coleret, cum victore exercitu in Ararathem montem secessit, ubi, Angelis magistris, omnes Deum amandi rationes felicissimis tironibus sunt infusæ. Quantum profecissent, patiendo, quod nobilissimum Christianæ scholæ experimentum est, demonstrarunt. Quinque in eos reges armati sunt; qui cum procellam lapidum primum effunderent, ii Christi Athletas non ausi contingere, in funditores rediere. Flagris cum secarentur, terra immanitatem non tulit, totaque intremuit. Quo miraculo permotus Theodorus, cum millenariâ cohorte Martyribus accessit, in præacutas sudes muricellæque impulsus, viam complanantibus Angelis, nihil cladis acceperunt. Eò denique ventum, ut quæ Christus tormenta tulit, in iis repeterentur. Ergo spinis redimiti, actique in crucem, per ingens montis spatium pependere optimi maximique testes injuriam cruci fieri, cum mala res, & infelix arbor vocatur: periissent, nisi pependissent. Ex Lippel. & Mart. Rom.

Signum Crucis erit in calo, cum Dominus ad iudicandum venerit: Tunc omnes servi Crucis, qui se Crucifixo conformaverunt in vitâ, accedent ad Christum iudicem cum magnâ fiduciâ. Quid igitur times tollere Crucem, per quam itur ad regnum? Thom. de Kemp. l. 2. c. ult.

S. PAULINUS EPISC. 22. Iunii.

NOVAM artem PAULINVS docuit; etiam cum nihil est, egenis tamen aliquid dare. Cum enim in amplissimâ natus familiâ atque ditissimâ, quam vocem CHRISTI adolescens Evangelicus non audit, hic audisset, & in pauperes omnes opes erogasset, Antistes dein Nolanus etiâ, cum Wandalorum incursionibus Italia infestaretur, omnes reditus captivis in libertatem asserendis contulisset, jamque nihil suppetere videretur, unde unam spem viduæ filium redimeret; ingeniosius se ipsum servum feminæ addixit, quæ abductum in Africam cum filio scilicet permutavit. Ibi Regis socerum, cujus hortos curabat, de morte regis commouit. Hic accersitum ubi primùm vidit, illum ipsum esse exclamavit, quem nuper inter cæli tribunalia conspicuum habuisset, qui que flagellum, quod ad castiganda orbis scelera quondam acceperat, è manu rapuisset; quare & ipsum, & cum eo omnes vinctos Nolanos remisit, navesque in donum frumentarias complures addidit. Nola igitur ingressus, pulchrum de servitute triumphum egit, pluribus eum civibus, quam Scipionem pileatis sequentibus. Sed liber animus corporis adhuc ergastulo clausus tenebatur. Tandem anno CCCC. XXXI. hic etiam vindicias secundum libertatem à morte accepit. At tunc Nola, imò Italia iterum captam se putavit, libertatis suæ auctore amisso. Ex Dial. S. Greg.

Nihil tam divinum homo habet, quàm de aliis bene mereri tametsi ille majora, hic minora beneficia cõferat; uterq; nimirum pro suis viribus. Fac, calamitose sis Deus, Dei misericordiam imitando. S. Greg. Naz. de amore Pauper.

S. MARIA DE OEGNIES. 23. Iunii.

EX amplissimo virtutum MARIÆ OEGNIACENSIS viridario flores omnes præter virginitatis lilium licet carpere. Hoc enim illi parentum importunitas invidit, qui invitam nuptiis illigarunt; quarum vix libato usu, marito continentiam persuasit, magnâ Christi approbatione, cujus crucem nunquam sine lacrimis, nunquam absque suo aliorumve bono adoravit. Militem genere, quàm moribus nobiliorem suis præceptionibus perductum ad frugem, malus dæmon ad infames naufragiis ejus scopulos retraxerat. Id MARIA longè absens vidit tamen, & Crucifixi affusa pedibus, precum finem non antè fecit, quàm infelici avulsum contubernio, Deo sisteret transfugam. Eandem sibi apud Deum patronam animæ piacularibus ardentes flammis optarunt, supplices nonnunquam ad eam manus tendere visæ: & verò quid illi cælum negaret, centies per diem flexo poplite supplicanti, trecentis plagis laceranti corpus, atro pane vexanti veriùs, quàm extinguenti famem, & sanè non duraturæ inter hæc supplicia, nisi Angelorum præsentiam foveretur, & familiari cum Dei Filio usu, qui subinde suâ infantiam amabilis, aliàs agni aut columbæ specie decorus, ei delicias faciebat. Ab hoc illi mira in divinas laudes eloquentia, vires adversus inferni larvas suppeditatæ, quarum cum se una morienti ingereret, hoc ejus convitio fugata est: *Discede sanies, & turpitudinis.* Id quâ fronte dicent, qui per omnem vitam se ram cupidè in hujus belluæ fimeto volutarunt?

Ex Suario.

Quid aliud Purgatorius ignis devorabit, nisi peccata

24. Iunii. VITÆ SANCTORVM. 317
ta tua? *Quantò amplius tibi ipsi nunc parcis & carnem sequeris, tantò durius postea lues, & majorem materiam comburendi servas. In quibus homo peccavit, in illis gravius punietur.* Thom. de Kemp. l. I. c. 24.

S. JOANNES BAPTISTA. 24. Iunii.

IOANNES melioris Solis melior Phosphorus ortus sui nuntium Angelum habuit. Ipse in matre jam sanctus, vix natus est, cum mutum parentem loqui oracula infans fecit. Patriam domum cum eremo mutavit, & cibum locustas ac mel agreste, vestem cameli exuvias habuit. Inde anno Tiberii imperantis XV. viam CHRISTO munire exorsus, non tam verbis, quam vitam ad poenitentiam scelerum hortatus mortales, animorum lavacro initium dedit, quod ipsum Servator sanctius tactu suo reddidit. Hunc ille itaque mundo Agnum ostentare, ad hunc scholam suam discipulos rectius erudiendos amittere, & jam indignum se putare ad cuius vel ultimum servitium descenderet. Sed nimirum se ipso major, sacris etiam vatibus omnibus prelati, & secundus a CHRISTO ab ipso met CHRISTO est proclamatus. Et tamen tam charum caelo caput Herodes saltatriculae filiae pedibus donavit, & crudelibus oculis pascendis mensae etiam inferri voluit. Itaque tunc, si unquam alias, lautè coenavit gula. Quae enim mensa tam nobile caput habuit? *Ex Hist. Evang.*

Ioannes sanctus homo missus à Deo, imò Angelus Dei innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit; vos indui festinatis bysso & purpurâ, & splendidè epulari. S. Bern. serm. de Nat. S. Joan.

S. IVAN CONF. 24. Iunii.

Minùs multi à cælo aberrarent, si ducem bonum Angelum suum sequerentur. Securus hunc præeuntem IVAN Regis Dalmatiæ filius, ne salutatis quidem parentibus, anno LVII. supra DCCC. in Bohemiæ silvas venit, & in his speluncam patriæ aulæ antehabuit. Cùm verò locum eum infestum à malis dæmonibus deserere pararet, obvius CHRISTI Prodromus Joannes cedenti animos addidit, & cruce datâ armavit. Hæc itaque signa ubi iterum in hostem vertit, victoriam illi eripuit, & quia maternas delicias aspernatus erat, nutricem DEVS cervam submisit, à cujus lacte, & ambrosiâ cælo depluente satur, facilè ex animo matris ubera delevit. Cæterùm in pias latebras tandem Borivojus Bohemorum Dux devenit, ducem cervam, quam diximus, securus, telo trajectam. Multùm igitur lætus tam felici venatione, hortatu Ludmillæ conjugis lectissimæ matronæ, Tetinam arcem suam abduxit IVANEM. Sed hic exofus aulæ, non multò post in spelæum suum iterum concessit, ubi posteaquàm annos II. & XL. egit, tandem lubens aliquando exivit ad aulam, sed cælestem illam, & in quâ nulli magis, quàm silvicolarum istiusmodi mores probantur. *Ex Nicolao Salio.*

Dole, quia Creatorem offendisti, cujus legem cælestia & terrestria, præter te, indefessâ statione conservant; & in tantâ Republicâ Dei tu solus peregrinus es, & Imperatoria Majestatis decreta non servas. S. Pet. Dam. serm. de S. And.

S. GAL.

S. GALLICANUS M. 25. Junii.

GALLICANI victorias de Persis Scythisque relatas admirandi, illam, quâ seipsum triumphavit, imitandi jus esto. Eò gloriæ venerat, ut Constantiæ conjugium præmium militiæ poscenti Constantinus pater negare nihil sit ausus, modò Scythas Romanis finibus ejecisset. In eo dum est, milites panico percussu metu, magnam partem dilapsi infrequentia signa reliquere. Anxio cã re Gallicano Joannes & Paulus Constantiæ familiares, voti Deo nuncupandi consilium suggessere. Obtemperantem cælestis straregus crucem præferens, eo fretum signo, cinctumque, quos ipsi adduxisset, stipatoribus, sequi se è vestigio iussit. Ita per attonitos hostes ad ipsum Scytharum regem penetravit. Neque ille ausus hiscere adversus tantam vim, vitam pactus se suaque Gallicano permisit. Inde illi veri Numinis admiratio, ejusque ritè colendi ardor injectus. Romam deportato exercitu, abdicatâ conjugii spe, rebusque humanis valere iussis, seipsum Christianæ modestiæ finibus circumscriptis. Ille orbis terror, & secundus à Constantino Dux, pater pauperum, peregrinorum hospes factus, pedum sordes abluere, ægorum lectulos sternere, inferre convivantibus cibos, obstupescente orbe terrarum, visus est. Julianus denique pestis pietatis hanc tantam virtutem proscriptis, & gladio addixit. Decuit nimirum ut toties victor cælum laureatus ingrederetur, triumphalem currum manibus pauperum trahentibus. *Ex Surio.*

Non est periculum quantumcunque te humilies, est autem grande periculum, si vel modicè plus vero te extollas; si vel uni te præferas, quem forte parem tibi

320 VITÆ SANCTORVM. 26. Iunii.
*veritas indicat, aut etiam superiorem. Quapropter noli
te comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus,
noli uni.* S. Bern. serm. 37. in Cant.

S. VIGILIUS EP. M. 26. Iunii.

VIGILIVM Pontificem Tridento Roma sub-
misit annos non nisi XX. natum, sed jam
tunc, si virtutes numerasses, grandævum. Ergo ab
hæresi urbem, à superstitione deinde omnem latè
viciniam purgavit. Eâdem operâ morbos, dæmo-
nesque hospites è corporibus proscripsit, fana di-
ruit Deorum, & solo Veronensium & Brixiensium
agro templa Deo extruxit triginta. Felicem se
etiam credidit, cum hospes hospitem D. Reme-
dium excepit; sed magis oculos recrearunt homi-
nes mille & amplius, quos omnes à fide aberrantes
in viam reduxit Remedius, & ad VIGILIVM ad-
duxit. Cæterum cœpta inter eos familiaritas sem-
per deinde duravit; & ad morientem in solitudi-
ne Remedium accurrit VIGILIVS, ære campano
ex pacto suapte sponte monente. Justis deinde
persolutis, cum ædiculam Remedii in templum
vellet consecrare, præveniri se ab Angelis per
quietem lubens volens vidit. Porro ad Aunaniæ
etiam populos Legatos misit suos, quos cum im-
pii adorti neci dedissent, ipse in illos movit, debel-
lataque superstitione, ubique locorum trophæum
Christo victori Crucem fixit. Et jam reliqua val-
lis unica Randena erat. In hâc illi Superi trium-
phum decrevere. Nam cum unus unicus in ho-
stium cuneos irrupisset, & æreum Saturnum re-
ctius cælo quàm Jupiter pulsurus, dejectum fra-
ctumque in præterfluentem abjecisset, ipseque
jam basi statuæ deinceps insistens, ad concionem
dice-

diceret, densissimo lapidum imbrequitus, ipsoque triumpho suo est obrutus. *Ex Ferrar. & to. 3. Bav. S.*

Dilectio fraterna omnibus desideriis amplectenda est, qua tot bona potest habere, quot premia: custodienda pro omnibus Virtutibus pax est, quoniam Deus semper in pace est. Locum non demus inimico, ne inter mella venena felle amariora confundat. S. Pet. Chrysol. ferm. 53.

S. LADISLAUS C. 27. Iunii.

LADISLAVM Belæ primi Regis Ungarorum filium, in dō MARIÆ vides; ita totus ab huius uberibus, dum vixit, pependit, sed neque mortuus, ut audies, dimisit. Cæterum vix alius regum tot virtutibus aut purpuram ornavit, aut coronam distinxit; ut minus mirer, si legam aulam ejus ab Angelis frequentatam esse. Certè ipse ab Angelo germanum suum vidit coronari, sed & Angelum sub cervi schemate ignitis cornibus locum vidit signare, quo promissam MATRI MAGNÆ ædem concederet. Eorundem Cœlitum ope, cum in multis aliis pugnis, tum in duello contra patrum suum Regem Salomonem victor evasit. Etenim cum hic cum uno rem sibi LADISLAO crederet esse, conspexit sub congressum, contra duos prætereà Angelos sibi certamen esse, qui gladio jam jam Salomoni graves imminebat. Noluit igitur, etsi Hercules sibi ipse videretur, in tot tantosque pugnare; sed abjecit arma, pacem coluit. Toties victor LADISLAUS coronam tamen ferre Ungariæ semper respuit, nobiliorem & immortalem ambiens, quam ut facilius obtineret, facere fortiter pro terrâ sanctâ constituit. In eâ proinde expeditione, cum Dux lectus esset omnium copiarum, ecce

in ipso belli apparatu pulcherrimâ morte occubuit. Mortuus porrò, & curru impositus, sine jumentorum hominumque ope in templum, quod ab eo VIRGINI structum memoravimus, non tam vehi, quàm currere visus est. Obstupuit ad miraculum orbis: at non ego etiam. Nam cur filium mirer ad Matrem suam decurrere? *Ex Ant. Bonfin.*

Omnis delectatio hujus mundi, universa ejus gloria, quidquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est, in illius beatitudinis comparatione; si tamen vel modicum dici debet, & non potius nihilum, & vapor ad modicum parens. S. Bern. serm. de S. Clem.

S. POTAMIOENA V. M. 28. Iunii.

F Elices nos, bona si nostra, si quæstum virtutis & certa pietatis vectigalia noverimus: quantillo possumus ditescere! POTAMIOENA Alexandrina virgo formæ causâ cum multis conflictata procis, & in illo certamine superior, ex amoris pæstrâ in scenam crudelitatis transiit, ut ad pudoris lilia constantiæ laurum adjungeret. Aquila homo sanguinarius carnificinæ præerat, cujus in POTAMIOENAM omnem atrocitatem effudit, certus fidem illi vel vitam eripere: jactatam per omnia tormenta, denique ad rogam cum Marcellâ matre damnavit. Virginis ducendæ cura Basilidi demandata non omnino experti humanitatis, & mitiori ingenio, quàm pro tam barbaris ministeriis. Is ergo insultantem virgini multitudinem compescuit, magisque fidi custodis, quàm licitoris munus explevit. Hoc tantillum officium ne suo auctori periret, curæ sibi fore, moritura virgo promisit. Neque defuit dicto fides. Triduo à mor-

te exacto, ad Basilidem revisit, ei que coronam civicam velut servatori suo imposuit. Ille ex donativo benevolentiam Numinis æstimans, statuit integrum stipendium mereri, & confestim auctoratus Christo, fidem illi abscisso capite probavit. I, die magno constare cælum: quantulum dedit Basilides, ut ex licetore Martyr fieret? *Ex Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 4.*

Sanctorum Martyrum esto discipulus: Hi ardentem rogam virtute Dei & fide vicerunt: vince igitur & tu ardentem concupiscentia flammam. Cruciatum superaverunt, spe, qua est in Christo, subnixi; tu quoque turpes passiones pudicitia & cogitatione pietatis superare contende. S. Ephr. de Laudib. SS. MM.

SS. PETRUS & PAULUS. 29. Iunii.

Rectius hodie Roma, misso cum Remo Romulo, conditores suos PETRUM & PAULUM salutatur, quando huic melioris orbis imperium capite suo pepererunt. Et PETRVS quidem, qui pro CHRISTO in terris rem Christianam administravit, quæ ad ignem peccaverat, semper oculorum imbre plectens, cum captus, & in vincula datus ab Herode, ab Angelo exemptus esset, morbos passim omnes vel umbrâ suâ fugasset; demum orbem in Urbe adortus, CHRISTI signa primus Romæ intulit. Hic ubi præstigiatorum Simonem in cælos (ut ipse quidem ajebat) volantem humi dedit præcipitem, Neronis furori cedens, CHRISTVM obvium habuit, qui rogatus quò iret, Romam ire se ad alteram crucem respondit. Implevit vaticinium CHRISTI continuò PETRVS; sed ut Magistro honorem cederet, inverso corpore tolli in crucem voluit, quò capite terris hoc pedibus cæ-

lo jam propior. Jam PAVLVVS ille cæli etiam ante fata civis, ille nominis JESV per omnem orbem præco, post edita miracula, & literarum oracula quàm plurima, hoc ipso die PETRO triumphanti collega additus, securi percussus est. Caput sanguinis loco primò lac, deinde tergeminos fontes totidem saltibus dedit, oleum interim effusum, JESV nomen clamando immiscens. Agnosceres tam pretiosis liquoribus refertum Electionis Vas esse. *Ex Hist. Eccl.*

Pro nobis facit Apostolorum vita, & doctrina, & mors ipsa: Etenim in conversatione continentiam, in prædicatione sapientiam, in passione suâ patientiam nobis contulerunt. S. Bern. serm. 3. de SS. Apost. Petro & Paulo.

S. ERENDRUDIS ABBATISSA. 30. Iunii.

ERAT ERENDRVDIS D. Ruperti Noricorum Apostoli neptis, non tam sanguine huic, quàm virtute propinqua. Itaque magisterium in DEO devotas virgines jam tunc, cum in Galliâ adhuc ageret, exercuit. Sed uti Rupertum virorum, ita ERENDRVDEM mulierum nec minùs potens invidia cedere è Galliâ coëgit. Itaque inter auxiliares copias, quas fidei bono in Boicas terras induxit Rupertus, etiam hanc numeravit, & exædificato ad Juvaviam Deiparæ honori Parthenone, illic collocavit virginem, matremque aliarum virginum voluit esse: quod officium illa sic implevit, ut non harum modò, sed pauperum omnium mater audiret, quibus tectum victumq; nunquam nõ præbuit. Pedes etiam eorum lavare, ulceraq; velut gemmas gaudens tractare. Ipsa mensè accumbens, non tam corpus cibo, quàm animum piis de DEO collo-

colloquiis reficiebat, quo ut frueretur, dici non potest, quàm abire è vitâ properarit. Tumulum ejus ingentia miracula coronarunt: unum alterumve denarro. Monachus in hereditatem D. ERENDRVDIS invaserat, ausus partē salinarii montis sibi asserere: & occupavit ille terram, quam petiit, sed subito fato in ipso loco, & perjurio extinctus. Aliam expertus est Henr. S. Cæsar, qui morbo tentatus, amuletum è collo suspendit anulum aureum, reliquiis virginis (gemmis utique grandibus) gravem. Atque hunc cum amisisset ille, & ab infesto morbo iterum oppugnaretur, præsentem iterum medicinam ad tumbam ERENDRVDIS reperit, ut qui se Henrico tunc debebat orbis, idem ipsum Henricum ERENDRVDI deberet. *Ex tom. 6. lect. ant. Canis.*

De terrâ es, & de terrâ vivis, & in terram revertaris. Certum est, quia morieris; sed incertum quando, & quomodo, aut ubi: quoniam ubique mors te expectat, tu quoque, si sapiens fueris, ubique eam expectabis. S. Bern. l. Med. c. 3.